

XCIII. Conditiones, quæ matrimonio contrahendo obstant, *Impedimenta* dicuntur; atque coniugium vel *illicitum* vel omnino *invalidum* reddunt. Eorum fontes aut in iure naturali, aut divino positivo, aut in iure humano sive ecclesiastico sive civili reperimus.

XCIV. Ut contractus matrimonii etiam inter catholicos a ratione Sacramenti separari potest: ita connubium catholici cum acatholica non semper a ratione Sacramenti alienum esse videtur.

XCV. Ex dictis innotescit, septem esse Sacramenta a Christo Domino ad nostram Sanctificationem instituta, quam quidem *ex se ipsis*, seu quod idem significat, ex efficacia meritorum Christi, quæ in hos salutis nostræ fontes quasi transfusa fuerunt, operantur.



§. VIII.

NOVISSIMA HOMINIS.

XCVI. *Mors* dicitur ea naturalis corporis mutatio, qua illud, ceu ineptum ad com-